



## **Opvs Theologicvm**

**Mauro, Silvestro**

**Romae, MDCLXXXVII**

Q. 158. Vtrum obiectum formale iustitiæ sit alterius ius actuum, vel passuum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

adhuc pauper non habet ius ad utendum domo; ergo ad ius non sufficit, ut sit prælatio moralis, qua aliquis debet præferri cæteris in usu alicuius rei propter connexionem cum illa re. Confirmatur: nam si aliquis donauerit pauperi domum, tunc pauper acquirit ius ad usum domus, & tamen non apparet, quam maiorem connexionem cum domo acquirat ex donatione, quam ex voto.

12. Ad 1. nego minorem, ac dico, quod is, cui aliquid ipsi fauens debetur ex gratitudine, fidelitate, pietate &c. non habet ullam potestatem per suam voluntatem restringendi libertatem alterius, adeoque nullum habet ius proprietatis, vel iurisdictionis aduersus alterum, sed solum exigendo id, quod illi debetur, potest ponere conditionem, qua posita, alter obligetur lege fidelitatis, gratitudinis &c. ad dandum, quod debet.

13. Dices. Repugnat, quod ego debeam aliquid alteri, & ille non habeat aduersus me ullum ius ad illud obtinendum, & exigendum.

Respondeo, negando antecedens. Nam vt ego debeam aliquid alteri, sufficit, vt ego à lege obliger ad illud dandum, & non est necesse, ut is, cui debeo, possit per suam voluntatem me obligare; sed vt aliquis habeat ius in me, requiritur, vt ille per suam voluntatem possit me obligare; ergo vt ego debeam aliquid alteri, non requiritur, vt ille habeat ullum ius aduersus me.

14. Ad 2. Infans potest obligare alterum per voluntatem, quam licet infans de facto non habeat, quia non vitur ratione, potest habere, & quam præsumitur habiturus, si ratione uteretur.

15. Ad 3. concedo maiorem, & distinguo minorem; princeps, & superior potest præcipere subdito in fauorem proprium, ita vt talis fauor sit sufficiens ratio præcipiendi, & obligandi, nego: ita vt non sit sufficiens ratio præcipiendi, nisi redundet in bonum commune; concedo; & nego consequentiam. Qui habet ius proprietatis potest restringere libertatem alterius in fauorem proprium, ita vt talis fauor sit sufficiens ratio obligandi alterum; at qui habet solum ius iurisdictionis non potest restringere libertatem alterius in fauorem proprium, ita vt talis fauor sit sufficiens ratio obligandi alterum, sed requiritur, vt fauor proprius redundet in bonum communitatis, vel eius, cuius libertas restringitur.

### QVÆSTIO CLVIII.

*Virum obiectum formale iustitiæ sit alterius ius actiuum, vel passiuum?*

S. Thom. qu. 57. art. 1.

1. Videtur ius alterius actiuum esse obiectum formale adæquatum iustitiæ.

Obiectum enim formale adæquatum iustitiæ est illud, à quo iustitia mouetur ad exercendos omnes suos actus: sed iustitia, cum sit habitus tribuendi vnicuique id, ad quod habet ius actiuum, à iure actiuo alterius mouetur ad exercendos omnes suos actus, per quos nihil aliud vult, quam tribuere vnicuique id, ad quod habet ius actiuum, ex hoc moriuo, quia habet ius actiuum ad illud; ergo &c.

2. Secundo religio, quia vult Deo dare cultum debitum ratione supremæ excellentiæ, habet pro obiecto formali supremam excellentiam Dei; gratitudo, quia vult reddere debita ratione beneficii accepti, habet pro obiecto formali beneficium acceptum; misericordia, quia ab aliena miseria mouetur ad succurrendum alteri, habet pro obiecto formali miseriam alienam; obedientia, quia mouetur à præcepto ad faciendam rem præceptam, habet pro obiecto formali ipsum præceptum; ergo iustitia, quandoquidem à iure actiuo alterius mouetur ad tribuendum illi id, quod debetur, habet pro obiecto formali ius actiuum alterius.

3. Tertiò videtur, quod obiectum formale iustitiæ sit compositum ex iure actiuo, & passiuo, adeoque quod ius passiuum sit obiectum formale inadæquatum iustitiæ. Obiectum enim formale, quod iustitia per se amat, ac ponere intendit, est æqualitas cum iure actiuo alterius; sed hæc æqualitas est relatio proportionis, & commensurationis cum iure actiuo; relatio autem constituitur intrinsecè per fundamentum, & terminum; ergo obiectum formale iustitiæ per se amatum, & intentum à iustitia est ius actiuum, & actio commensurata iuri actiuo, quæ actio vocatur ius passiuum, vt dictum est quæst. 55.

4. Quarto obiectum formale iustitiæ est, quod debetur ex iure actiuo, non vtrumque, sed vt formaliter debitum ex iure actiuo; siquidem iustitia dare vult vnique debitum ex iure; sed quod debetur, constituitur formaliter debitum per ipsum ius; ergo obiectum formale iustitiæ est non solum id, quod debetur ex iure, quod vocatur ius passiuum, sed etiam ipsum ius actiuum alterius, per quod id, quod debetur, constituitur formaliter debitum.

5. Quinto si dicatur, quod obiectum formale iustitiæ est honestas ponendi actionem conformem iuri, contra est, quia hæc honestas non identificatur adæquate cum aliquo indifferenti ad habendam, vel non habendam hanc honestatem: sed actio conformis iuri est indifferens ad habendam, vel non habendam honestatem conformitatis cum iure; nam quando pecunia datur alicui, qui non habet ius ad pecuniam, talis datio pecunie non habet honestatem conformitatis cum iure; ergo honestas actionis conformis iuri non identificatur solum cum actione, quæ

quæ est ius passivum, sed partialiter identificatur etiam cum iure activo alterius: sed qui amat honestatem ponendi actionem conformem iuri, non amat solum id, quod est indifferens ad habendum, vel non habendam talem honestatem, sed amat omnia ea, cum quibus identificatur talis honestas; ergo amat non solum actionem conformem iuri, quæ est ius passivum, sed etiam ius activum.

6. Respondeo obiectum formale adæquatum virtutis moralis esse illam honestatem, quam ita virtus moralis amat ratione sui, vt ratione ipsius amet cetera, & ad talem honestatem obtinendam exercent omnes suas actiones: Ex. gr. quia religio ratione sui amat honestatem colendi Deum, & vt obtineat hanc honestatem cultus, exercet omnes suas actiones, honestas colendi Deum est obiectum formale religionis: quia obedientia ratione sui amat honestatem obediendi præceptis superioris, & ad hanc honestatem obtinendam exercet omnes suas actiones, obiectum formale obedientiæ est honestas obediendi superiori. Ex proportionali ratione, obiectum formale gratitudinis est honestas reddendi gratiam pro beneficijs acceptis: obiectum formale misericordiæ est honestas subueniendi alienæ miseræ: obiectum formale iustitiæ vindicatiuæ est honestas puniendi delicta poena ipsis proportionata; sed iustitia stricta, de qua loquimur, cum sit virtus tribuendi vnicuique id, ad quod habet ius activum, ratione sui amat honestatem tribuendi vnicuique id, ad quod ille habet ius activum, & omnes suas actiones exercet, vt obtineat hanc honestatem; ergo obiectum formale iustitiæ est honestas tribuendi vnicuique id, ad quod habet ius activum.

7. Hoc supposito, dicendum primo: obiectum formale adæquatum iustitiæ non est ius activum. Probat: nam ex dictis obiectum formale adæquatum iustitiæ est id, ad quod obtinendum iustitia exercet omnes suas actiones; sed iustitia non exercet omnes suas actiones, vt obtineat ius activum in alterum, sed vt obtineat honestatem tribuendi vnicuique id, ad quod ille habet ius; ergo &c. Quia verò id, ad quod alter habet ius, vocatur ius passivum, vt dictum est quæst. 55. ideo obiectum formale adæquatum iustitiæ est honestas tribuendi vnicuique ius passivum.

8. Dicendum secundo: ius activum neque est obiectum formale inadæquatum iustitiæ. Probat: nam ex dictis obiectum formale adæquatum iustitiæ est honestas tribuendi vnicuique id, ad quod ille habet ius activum; sed hæc honestas distinguitur adæquate, & totaliter à iure activo; ergo obiectum formale adæquatum iustitiæ distinguitur adæquate, & totaliter à iure activo, ac

proinde ius activum neque est obiectum formale inadæquatum, & parziale iustitiæ. Probat: minor: nam honestas tribuendi alteri id, quod illi debetur ratione iuris activi, ita se habet ad ius activum, sicut honestas infligendi alteri poenam debitam ratione peccati commissi, se habet ad peccatum commissum: sed honestas infligendi alteri poenam debitam ratione peccati commissi distinguitur totaliter à peccato commisso; ergo &c.

9. Confirmatur: nam sicut curatio morbi, licet supponat essentialiter morbum, distinguitur totaliter à morbo: sicut solutio debiti, licet supponat essentialiter debitum, distinguitur totaliter à debito; sic honestas soluendi debitum, ac tribuendi id, quod alteri debetur ratione iuris activi, licet essentialiter supponat ius activum, distinguitur totaliter à iure activo. Honestas igitur tribuendi vnicuique id, quod illi debetur ratione iuris activi, non includit intrinsecè, & constitutiue ius activum, sed solum illud connotat extrinsecè, & præsuppositiue, tanquam essentialiter prærequisitum ad talem honestatem, eo pacto, quo curatio vulneris non includit intrinsecè, & constitutiue vulnus, sed solum connotat vulnus, tanquam terminum extrinsecum curationis essentialiter prærequisitum ad curationem.

10. Dicendum tertio: ius activum non amatur à iustitia, tanquam obiectum formale: potest tamen amari à iustitia, tanquam obiectum aliquo pacto materiale.

11. Probat: prima pars: nam illud solum amatur à iustitia, tanquam obiectum formale, quod est obiectum formale adæquatum, vel inadæquatum iustitiæ: sed ius activum non est obiectum formale adæquatum, neque inadæquatum iustitiæ; ergo &c.

12. Probat: iam secunda pars: nam iustitia amat vt obiectum formale honestas tribuendi vnicuique id, ad quod habet ius; ergo quia talis honestas obtineri non potest, nisi alter habeat ius, potest velle, vt alter habeat ius activum, & potest velle dare alteri ius activum, vt deinde obtineat honestatem tribuendi alteri id, ad quod habet ius. Confirmatur exemplo obedientiæ. Nam quia obiectum formale obedientiæ est honestas obediendi præcepto superioris habentis ius activum iurisdictionis, potest aliquis ad obtinendam hanc honestatem velle, vt alter habeat in se ius activum iurisdictionis, ac sibi præcipiat, vt sic deinde obtineat honestatem obediendi præcepto; ergo à pari.

13. Dices: ergo iudex per iustitiam vindicatiuam, vt obtineat honestatem puniendi delicta, potest velle, & optare, vt fiant delicta.

Respondeo, negando consequentiam. Disparitas est, quia per virtutem non possumus amare, & velle id, quod non est licitè, & honestè amabile, ac volibile; sed delicta, & peccata non sunt honestè, & licitè amabilia, & volibilia etiam ad finem illa puniendi; ergo per iustitiam vindictivam, quæ est virtus, non potest iudex amare, & velle, vt fiant delicta, vt possit deinde obtinere honestatem ipsa puniendi. Sicut enim virtus non potest facere mala, vt eueniant bona, sic non potest amare, & velle mala, vt eueniant bona. At per virtutem possumus, vt obtineamus eius honestatem, amare, & velle ea, quæ ita prærequiruntur ad talem honestatem, vt sint licitè, & honestè amabilia, & volibilia; sed aliquod ius actiuum ita prærequiritur ad honestatem iustitiæ, vt sit licitè, & honestè amabile, ac volibile; ergo vt obtineamus honestatem, quæ est obiectum formale iustitiæ, possumus per iustitiam amare, & velle ius actiuum alterius. Idem proportionaliter dic de obedientia.

14. Dicendum quarto: potest aliquis esse iustus, absque eo quod amet, ac velit ius actiuum alterius, imò ita vt illud oderit, ac velit destruire. Probat, & explicatur. Potest enim seruus esse iustissimus, ac velle domino tribuere omnia, quæ illi debentur iure dominij, & tamen potest odisse, ac nolle suam seruitutem, ac dominium domini, & curare, vt se redimat à domino, ac per legitimam redemptionem destruat ius domini in se; ergo &c.

Ex eo, quod aliquis possit esse iustus, & exercere actum iustitiæ, & tamen non amare, sed odisse ius actiuum alterius, inferitur à fortiori, quod potest exercere actum iustitiæ, & tamen ius actiuum alterius neque amare, neque odisse, sed præcisè se habere: ex gr. potest seruus velle tribuere domino omnia, quæ illi debentur iure dominij, & tamen neque amare, neque odisse ius dominij.

15. Dices: actus iustitiæ, quo quis vult tribuere alteri id, ad quod habet ius actiuum, tendit in ipsum ius actiuum, tanquam in obiectum: sed actus voluntatis non potest tendere in aliquod obiectum, nisi illud amando, vel odio habendo; ergo &c.

Respondeo, distinguo minorem: actus voluntatis non potest tendere in aliquod obiectum, tanquam in purum obliquum, nisi illud amando, vel odio habendo, nego: tanquam in non purum obliquum, transeat. Certum videtur, quod per actum voluntatis possumus tendere in aliquod obiectum, vt purè obliquum, illud neque amando, neque odio habendo, sed præcisè ab amore, vel odio; ex gr. dum quis amat filium Francisci, quia per illum actum tendit in Franciscum, tanquam in purum obliquum, ac terminum relationis, potest Fran-

ciscum neque amare, neque odisse. In casu nostro, quia per actum, quo volumus alteri tribuere id, ad quod habet ius actiuum, tendimus in ius actiuum, tanquam in purum obliquum rei volitæ, & amare, possumus tendere in ius actiuum, illud neque amando, neque odio habendo, sed præcisè ab amore, & odio.

16. Ad 1. Distinguo maiorem: obiectum formale adæquatum iustitiæ est illud, à quo iustitia mouetur ad exercendos omnes suos actus, tanquam à motiuo intrinseco, primo, & per se amato, concedo: tanquam à motiuo extrinseco, seu medio termino syllogismi practici, nego: distinguo eodem patet minore: & nego consequentiam. Obiectum formale virtutis est illud, à quo virtus mouetur ad exercendos omnes suos actus, tanquam à motiuo intrinseco, primo, & per se amato: sed iustitia mouetur ad exercendos omnes suos actus, per quos vult tribuere vnicuique id, ad quod habet ius, ab honestate reddendi vnicuique id, ad quod habet ius, quam honestatem primo, & per se amato: ergo honestas tribuendi vnicuique id, ad quod habet ius, est obiectum formale iustitiæ; ipsum autem ius actiuum, cum non moueat vt obiectum primo, & per se amatum, sed purè moueat, vt medius terminus syllogismi practici præsuppositi ad actum iustitiæ, non est obiectum formale iustitiæ. Syllogismus autem practicus præsuppositus ad actum iustitiæ, cuius medius terminus est ius actiuum, est hic: *Honestum est reddere vnicuique id, ad quod ille habet ius actiuum; sed Petrus habet ius actiuum ad hoc: ergo honestum est Petro tribuere hoc.* Cum ergo dicitur, quod per iustitiam volumus tribuere vnicuique id, ad quod habet ius actiuum, ex hoc motiuo, quia habet ius actiuum ad illud, significamus ius actiuum esse motiuum, non intrinsecum, sed purè extrinsecum iustitiæ, vt explicatum est.

17. Ad 2. Retorqueo argumentum, ac dico, quod sicut obiectum formale religionis non est diuina excellentia, sed honestas tribuendi Deo cultum debitum ratione superioris excellentiæ: obiectum formale gratitudinis non est beneficium acceptum, sed honestas reddendi gratiam pro beneficio accepto: obiectum formale obedientiæ non est ius præcipiendi, neque præceptum, sed honestas obediendi præcepto: obiectum formale misericordiæ non est aliena miseria, sed honestas succurrendi alienæ miseriæ: sic obiectum formale iustitiæ non est ius actiuum alterius, sed honestas tribuendi vnicuique id, ad quod ille habet ius. Adde, quod sicut ius actiuum alterius, est motiuum extrinsecum iustitiæ, in quantum est medius terminus syllogismi practici præsuppositi ad actum iustitiæ: sic diuina excellentia est motiuum extrinsecum religionis, quatenus est medius terminus syllogismi practici præsuppositi ad actum

actum religionis, qui syllogismus practicus est: *Honestum est supremæ excellentiæ tribuere cultum proportionatum: sed Deus habet supremam excellentiam: ergo &c.* In eodem sensu beneficium acceptum est motiuum extrinsecum gratitudinis: præceptum est motiuum extrinsecum obedientiæ; aliena miseria est motiuum extrinsecum misericordiæ; delictum commissum est motiuum extrinsecum iustitiæ vindicatiuæ.

18. Ad 3. concedo maiorem, & primam partem minoris, ac nego secundam partem minoris, & retorqueo argumentum. Obiectum enim formale adæquatum iustitiæ est æqualitas cum iure actiuo alterius; sed hæc æqualitas nihil aliud est, quam quædam relatio proportionis, & commensurationis inter actionem, & ius; relatio autem distinguitur à fundamento, ac termino, vt dixi in logica, qu. 54. ergo obiectum formale iustitiæ, quod per se amatur à iustitia, non est ius actiuum, sed est sola honestas actionis commensuratiuæ iuri actiuo, quæ honestas vocatur ius passiuum.

19. Ad 4. concedo maiorem, ac nego minorem, ac retorqueo argumentum. Obiectum formale iustitiæ est, quod debetur ex iure actiuo; sed quod debetur ex iure actiuo constituitur formaliter debitum, non per ipsum ius actiuum, sed per relationem commensurationis, & proportionis cum iure actiuo, quæ relatio distinguitur à iure actiuo: ergo obiectum formale iustitiæ non est ius actiuum, sed sola honestas faciendi actionem debitam ex iure actiuo, quæ actio vocatur ius passiuum, & constituitur formaliter debita, non per ius actiuum, sed per relationem commensurationis cum iure actiuo.

20. Ad 5. concedo obiectum formale adæquatum iustitiæ esse honestatem ponendi actionem, vel omissionem conformem iuri actiuo. Concedo etiam talem honestatem non identificari adæquatè cum actione, quæ denominatur conformis iuri actiuo: siquidem talis actio externa est indifferens ad hoc, vt habeat, vel non habeat honestatem conformitatis cum iure actiuo, vt efficaciter probatur in argumento, quod solimus. Sed nego honestatem actionis conformis iuri actiuo partialiter identificari cum ipso iure actiuo, siquidem identificatur cum relatione conformitatis cum iure actiuo, quæ relatio distinguitur à iure actiuo, vt explicatum est.

21. Ad 6. addo in sententia, quæ dicit relationem identificari cum fundamento, & termino, difficile saluari, quo pacto qui amat honestatem ponendi actionem conformem iuri actiuo, eo ipso non amet ipsum ius actiuum. Ratio est, quia qui amat honestatem ponendi actionem conformem iuri actiuo, non amat solum aliquid indifferens ad habendam, vel non habendam hanc honestatem; sed actio conformis iuri, prout distincta à iure actiuo, est indifferens ad habendam, vel non habendam honestatem

conformitatis cum iure actiuo, & constituitur partialiter per ipsum ius actiuum; ergo qui amat honestatem ponendi actionem conformem iuri, non solum amat actionem, sed etiam amat ipsum ius actiuum, adeoque ius actiuum est obiectum formale partiale iustitiæ. Hinc sequitur vltterius, quod quia poena per se ipsam est indifferens ad hoc, vt sit proportionata, vel improporcionata culpæ, adeoque vt sit iusta, vel iniusta, constituitur autem proportionata per ipsam culpam; qui per iustitiam vindicatiuam amat poenam vt iustam, & vt proportionatam culpæ, non solum amat poenam, sed etiam ipsam culpam. Si enim amaret solam poenam, prout contradistinguitur à culpa, amaret ipsam poenam solum in quantum est indifferens ad hoc, vt sit proportionata, vel improporcionata culpæ, quod est absurdum.

22. Dices: posito, quod supponatur culpa homicidij, vel furti ex. gra. poena suspendij non est amplius indifferens ad habendam, vel non habendam honestatem proportionis cum culpa: ergo supposita culpa, qui amat honestatem ponendi poenam proportionatam culpæ, amat solum poenam præsupponentem ipsam culpam, culpam autem non amat, sed purè præsupponit.

23. Sed contra: nam suspendium ex. gra. secundum se est indifferens ad hoc, vt supponatur, vel non supponatur culpam homicidij, vel furti; sed suspendium habet honestatem iustitiæ, & proportionis cum culpa solum in quantum præsupponit culpam; ergo suspendium est indifferens ad habendam, vel non habendam honestatem proportionis cum culpa, & constituitur formaliter habens hanc honestatem per ipsam præsuppositionem culpæ; sed qui amat honestatem suspendij non amat solum aliquid indifferens ad habendam, vel non habendam talem honestatem, sed amat etiam id, per quod suspendium constituitur iustum, & habens talem honestatem: ergo qui per iustitiam vindicatiuam amat honestatem suspendij, non solum amat suspendium, sed etiam suppositionem culpæ: sed per aduersarios suppositio culpæ supra suspendium non addit aliquam relationem distinctam, sed solum addit ipsam culpam; ergo qui amat honestatem suspendij, non solum amat suspendium, sed etiam ipsam culpam, quod est absurdum. At in mea sententia de relatione, quam explicauimus quæst. 54. logica, cum suspendium constituitur honestum per hoc, quod supponatur culpam; talis autem suppositio sit relatio distincta à suspendio, & à culpa; qui amat honestatem suspendij amat solum honestatem contradistinctam à culpa, ac non amat ipsam culpam. Videri potest Cardinalis de Lugo de Pœnitentia disp. 2. sect. 4. num. 36.